

## EMBLEMA XCIV.

## PACIS COMMODA.



*Igne solvantur, Dominator, Arma,  
Dulcis in Pacem pyra conflet enses;  
Tela candescant, sciat hasta flammarum,  
Umbo favillam.  
Ut rogi sparsus cinis arva, & urbes  
Uberes reddat: placidos lacertos  
Virga protendat: locuples nitescat  
Copia cornu.*

## COMMENTARIUS.

**C**um de damnis Belli plura dicta jam sint, & plurima semper dicenda, ac dolenda supersint, par est ut nunc de Pacis commodis aliqua subjungamus, quam veteres, Aristotele (a) praemeante, velut bellum primum mercedemque duxerunt, & vel ob hanc solam causam finemque bellandum, ut in pace vivamus, & negotia suscipiamus, & in orio esse possimus.

2 Unde Isaías (b), illam complementum omnium bonorum agnoscit, quae Deus hominibus præstare potest, sic inquiens, *Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis*, qui & ipse alibi (c) eamdem, *pulchram, fidam, & in requie opulentam* appellat,

(a) Aristot. 10. eth. cap. 7.  
(b) Isa. 26. 12.

(c) Idem cap. 32. 18.

## Pacis commoda, &amp; encomia.

lat, his verbis. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducie, & in re quie opulenta. Cui adridet illud Virgilii (d):

*Nulla salus belli, Pacem te poscimus omnes.*

Et Silii Italici (e) sic eam meritò commendantis:

*Pax optima rerum*

*Quas homini novisse datum est: Pax una triumphis*

*Innumeris potior. Pax custodire salutem,*

*Et cives servare potest, &c.*

3 Eamdemque in votis habens Lucanus (f), sic inquit:

*Pax missa per orbem*

*Ferrea belligri compescat limina Jani.*

Et Ovidius (g):

*Fronibus Aeliacis comptos redimita capillos,*

*Pax ades, & tota mitis in orbe mane.*

*Dum desunt hostes, desit quoque causa triumphi:*

*Tum ducibus bello gloria major erit.*

*Sola gerat miles, quibus arma coercent arma:*

*Canteturque fera, nil nisi pompa, tuba.*

4 Et Divus Augustinus (h) tanti ipsam facit, ut uno in loco dicat: *Tantum est Pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius soleat audiiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò melius possit inveniri.* Et in alio (i), ita eam diffiniat, atque commendet. *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium caritatis. Hec est, que similitates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extollit, nescit inflari: Hanc qui acceperit teneat, qui perdiderit repeatat, qui aniserit, exquirat, &c.*

5 Quo cum sentiens Divus Basilius sic habet: *Quantum sit bonum Pacis, quid dicere opus, ad viros Pacis filios? Nihil etenim, ita Christianorum proprium, atque pacem conciliare. Et Cassiodorus (k), in hoc gratiam gloriamque præcipuum Regum extollit, & servari scriptum reliqui: Si in aequitate Pacis populum dirigant, & in iustitia vigore conservent. Hec enim est bonarum artium mater decora. Hac mortalium genus reparabili successione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, & tantarum rerum ignarus cognoscitur, qui eam minimè, quiescere sentitur. Et iterum (l), Decet Regalis apicis curiam generalitatē custodiare concordiam, que ad laudem Regnantis trahitur, si ab omnibus Pax ametur. Quid est enim quod Principem melius prædicet, quam quietus populus consors Senatus, & tota Res publica morum honestate vestita?*

6 Extat quoque apud nobilem Poëtam Prudentium (m) elegans Pacis descriptio, & commendatio, sic ordinens:

*Pax plenum virtutis opus, Pax summa laborum,*

*Pax belli exacti pretium est, pretiuusque pericli*

*Sydera pace vigent, consistunt terrea pace,*

*Nil placidum est sine Pace Deo, nec monus ad Aram,*

*Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem*

*Mens, impacati sub peccatoris oderit antro.*

7 Plurimaque similia ejusdem commoda, & encomia apud Erasmus (n), & alios (o) reperi poterunt, qui de eis peculiariter scriperunt. Quibus relictis, ut ad ejus picturas, & Emblema transeamus, antiqua quidem, & relatu digna est illa Atheniendum, que Pacis simulachrum, ita effingebat, ut pulchrum Plutum manu gestaret, quasi hoc symbolo ostendens (ut post Paulanum (p) tradit Lilius (q) Giraldus) non ex bello, sed ex Pace, divitias, & opes comparari.

8 Neque aliud insinuabant alii, qui Pacem, cum triceps spicis effigiant, & interdum etiam, cum oliva, cum lauro, & nonnumquam, cum rosa coronatam, ut in aliquibus nummis veteribus vidimus. Alii quoque circumferuntur, sub Claudio, & Vespasiano Imperatoribus elegantissime cussi, in quibus Pax habitu victoriae alata, seu Victoria Pacifera, conspicitur, anguem subiectum Caduceo compescens, cum inscriptione, *Paci Augustæ*. Quibus, ut Pierius (r) Valerianus, Antonius

CCCV 2

(d) Virgil. Æneid. 11.

(e) Silii lib. 10.

(f) Lucan. lib. 1.

(g) Ovid. 1. Fast.

(h) D. August. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 11.

(i) Idem de verb. dom.

(k) Cassiod. lib. 1. ep.

(l) Idem lib. 1. epist. 23.

(m) Prudent. Psychomach. 7.

(n) Erasm. in Pacis querimonia.

(o) Ludov. Vives in lib. Isocrat. in orat. de Pace. Ludov. Vives in aureo lib. de Concord. & Discord. D. August. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 11. & 12. latè Sotus in epist.

D. Paul. ad Roman. Corset. in singulari tractat. de privilegi. Pacis, & Damhoud. in præ. crim. ex pag. 42. Textor in officina, verb. Pax.

(p) Girald. de diis gent. pag. 30.

(q) Pausan. in Atticis. & in Boeoticis.

(r) Pier. lib. 15. cap. 46.

nus Augustinus (s), & Adolphus Occo (t) presentiunt, nihil aliud, quam bellum odium significatur, eoque prudenter oppresso, & calcato, Pacem orbi condonari, & omnia ubique abundanter feliciterque virere.

9 A quibus non longè abiens Alciatus (u), ut Pacem, Pacisque bonos, & uberes foetus, si-  
ve effectus denotaret, tria successivè Emblemata finxit, quæ etsi omnibus obvia sint, propter sui  
pulchritudinem hic omitti non possent, nisi brevitati consuleremus. In primo elephantem pingens,  
qui etsi in olim bellis deservire soleret, pace tamen stante:

*Cesareos currus ad pia tempa vehit,  
Profectisque armis, munia pacis obit.*

In secundo galeam, intra quam apes suavissimos mellis favos veluti in alveario conficiunt. In ter-  
tio spicarum corollas, vitis palmitibus circumplexas, & Alciones in tuto marmore, tranquillove  
mari, nidificantes, suoque pullos confoventes. Sic insinuans, optimi Principis officium in id in-  
cumber penitus debere, ut populum in suis regionibus, & provinciis, necessario proventu ins-  
tructis, foveat, & tutetur; habita primum ratione tempestatum, earumque calamitatum, quæ sol-  
lent in dies accidere: sin atque ventos remittere, & tandem procellas ebullientes hostium conques-  
cere, ut securius in pace postea vivatur.

10 Adrianus quoque Junius (x), ostendere volens ex Pace rerum omnium opulentiam proce-  
dere, illam, Plutum (de quo supra) dextra tenentem depingit, & sinistra cornucopiae gestantem,  
his subjectis carminibus:

*Aureolum dextra gestat Pax Attica Plutum,  
Leva tenet cornu plenum ubere copia,  
Elicit opum satias, & rerum copia leta,  
Pax ubi, Marte triunphato, viget aurea.*

11 Extant etiam, apud Battilium (y) duo alia non contemnenda Emblemata, ex Mercurii  
Caduceo, & oliva Minervæ desumpta, quibus Pacis vota, bonaque describit, eique studere præ-  
stare, quam bello, suadet. Et Janus Jacobus Boisdardus (z), idem ostendere volens, sic pingit,  
& infit:

*Pace vigent Artes: Aras Pax thure reparat,  
Pax Cererem, & Bacchum promovet, atque forvet.  
Filia Pax Jovis est, & divum munera nobis  
Dispensat: placida Pace beatus homo est.*

Justus autem Reisembergius (a), eisdem vestigiis insistens, sic habet:

*Ecce gerit spicam, molli redimita corona,  
Plaudite vos pueri, plaudite vosque senes.*

Et Joachimus Camerarius (b) sub olea arboris pictura, eamdem commendans sic:

*Dure facesse ligo, validæ procul este bipennes,  
Frondeat eternos Pacis alnum dies.*

Est enim olea arbor Palladi dicta, Pacisque symbolum. Unde & *Pacis arborem* Sidonius eam  
nominat, & quia semper viret, & singularem utilitatem hominibus præstat, neque incidi, ne-  
que evelli ullo modo par est; de ejusque origine bellissima est apud Servium in primo Georgi-  
corum narratio.

12 Noster etiam novissimus Saavedra (c), de eisdem votis, & bonis Pacis eruditè, ac pru-  
denter petractans, hastam humi fixam proponit, quam frœcunda vitis, plena botris, complecti-  
tur. Et iterum leonem mortuum, in cuius ore, tamquam in alveolo, apes mellificant, quod in  
idem recidit, cum Galea Alciati supra relata, cuius ipse mentionem omisit.

13 Ego verò in præsentis Emblemate, veluti in compendium omnia supra adducta reducens,  
Pacem (ut vides) spicis, & oliva coronatam, & ex sinu cornucopiae fundentem, exhibeo, si-  
mulque, dextra, Mercurii caduceum tenentem, lava autem, accensam facem, qua congestam di-  
versorum armorum pyram accedit, ut sic vetera quoque Trajani, & aliorum Imperatorum Nu-  
mismata denotem, quibus sub hoc actu, & habitu (ut tradit Orosius (d) Covarrubias) Pacem  
pingere moris fuit. Quasi Davidicum (e) illud legissent, *Arcum conteret*, & confringet arma,  
& scuta comburet igne.

14 Etenim, sicut bellis imminentibus, semper invaluit, falces, vomeres, ligones, & alia agri-

cul-

(s) August. Dialog. 11.

(t) Occo in Numism. veter. latè Gervas. contra Trista-  
num in lib. Infant. Cardin. ex pag. 124.

(u) Alciat. Embl. 176. & duobus seqq.

(x) Junius Embl. 6.

(y) Battil. Embl. 217. & 218.

(z) Boisdard. Embl. 26.

(a) Reisemberg. Embl. Polit. 5.

(b) Joach. Camerar. cent. 1. Embl. 14.

(c) Saaved. Empr. 74. & 99.

(d) Orosc. in Embl. lib. 1. fol. 38. in fin.

(e) David Psalm. 45.

culturæ instrumenta in gladios, enses, cassides, & scuta convertere, & prorsus ipsam agricultu-  
ram deserere, juxta illud Virgilii (f):

*Quippe ubi fas versum, atque nefas: tot bella per Orbem,  
Tan multæ scelerum facies: non illus aratro  
Dignus honor, squalent adductis arva colonis:  
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.*

Et iterum (g):

*Vomeris buc, & falcis bonos, buc omnis aratri  
Cessit amor, recoquunt patriis fornacibus enses,*

Ovidii (h):

*Bella diu tenuere vires, erat aptior ensis  
Vomere, cedebat taurus arator equo:  
Sarcula cessabant, versique in pila ligones,  
Factaque de rastri pondere cassis erat.*

15 Ita è contrario, tempore Pacis, gladii in vomeres, & ligones, enses, & lanceæ in falces  
conflari, & curvæ dicuntur, juxta illud Davidis modo relatum, & expressius Isaia (i), qui cum  
tempus Pacis venturum significare vellet, quo Deus tamdem populum suum beare dignaretur, sic  
loquitur: *Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflatibunt gladios suos in vomeres; &*  
*lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.*

16 Quod & ipsum, paucis immutatis, apud Michæam (k) habetur. Neque aliud sensit Mar-  
tialis (l), dum dixit de Falce:

*Pax me certa Ducas placidos curvavit in usus,  
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.*

Et Claudianus (m), dum signa partæ Pacis commemorans, canit:

*Non jam delectus miseri, nec falce per agros  
Deposita, jaculum vibrans ignobile messor:  
Non tentat clypeum projectus sumere rastris.*

17 Sidonius (n) quoque de otio veteranorum scribens: *In eorum, inquit, effatis manibus enses*  
rubiginosos sero ligone mutari. Qui locus, licet ibidem diligens Sidonii Scholiastes Savarus, id non  
animadvertis, elegantissimus est ad intelligandam, & illustrandam constitutionem Imperatorum  
Gratiani, Valentiniiani, & Theodosii (o), quæ vetat, *Veteranos milites, otio donatos, tela in usum*  
*vomeris, ligonisque convertere.*

18 Et ad eamdem Pacis notam alludens Cassiodorus (p) populares monens, ut quietè vivant,  
& indicias pro bono publico præstationes, gratanter exsolvant: *Accipiant (ait) ferrum, sed unde*  
*agros excolant: sumunt cuspides, boum stimulos, non furoris.*

19 Nemoque ex Antiquis, & Modernis Poëtis, & scriptoribus extat, qui Paci uberem hanc,  
quam pinguis, fructuum, & rerum omnium abundantiam, non tribuat, ut præter supra relatios,  
ostendit Tibullus (q), quasi nostrum Emblema respiciens, & Pacem hoc carmine vocans:

*Interred Pax Alma veni, spicamque teneto,*

*Profluat, & pomis candidus ante sinus.*

Et melius Menander (r), qui ejusdem utilitatem exaggerans, hac hyperbole utitur:

*Alit colunam Pax, & in saxis benè;*

*At bellum, noxiun in ipso campo quoque.*

Et de nostro Cornucopiae expressè mentionem faciens Seneca Tragicus (s), sic inquiens:

*Et asperi  
Martis sanguineas, que cobibet manus,  
Quæ dat belligeris federa gentibus,  
Et cornu retinet dirite copiam,  
Donetur tenera mitior hostia.*

Divus etiam Hilarius (t), sic appositissime, inquit: *Ibi aurea florent secula, quando misericordia,*  
*& veritas obviaverunt sibi. Justitia, & Pax osculantur se se: ubi veritas de terra oritur, & justitia*  
*de caelo prospicit: ubi Dominus dat benignitatem, & terra dat fructus suos.*

Sed

(f) Virgil. 1. Georg.

(g) Idem 7. Æneid.

(h) Ovid. 1. Fast.

(i) Isa. 2. 4.

(k) Mich. 4. 3.

(l) Martial. in apophoretis.

(m) Claud. de bello Getico.

(n) Sidon. lib. 1. epist. 6.

(o) L. fin. C. de Mancip. & Colon.

(p) Cassiod. lib. 2. epist. 5.

(q) Tibul. lib. eleg.

(r) Menand. apud Henric. Stephan. in Gnom. Græc. Po-  
emarum.

(s) Senec. in Medea.

(t) D. Hilar. in lib. de Trinit.

20 Sed quoniam nemo plenus Pacis bona, & commoda, quam Ravisius Textor (*u*) exposuit, liber hic ejus carmina recensere, qua etiam ad nostri Emblematis illustrationem valde conducunt, & sic habent:

Pax celeste bonum, sacris altaria flammis,  
Atque tepescentes suscitat igne focos.  
Pax hominum genitrix. Pax est custodia rerum,  
Pax aperit juris, justitiae forum.  
Nulla quies homini, nulla est sine Pace voluptas,  
Nullus amor, nullum religionis opus.  
Pax urbes, Pax regna ligat, Pax congregat orbem.  
Fiat ut ex multis urbibus una domus.  
Secula Pax renovat, Pax aurea tempora confert,  
Et mores priscæ simplicitatis habet.  
Ingenue redeunt Artes, Academica florent  
Ocia, Castalia solicitant aquæ.  
Pax facit innocuos saltus, nemorumque recessus  
Tutus it, & tutas advena portat opes.  
Pax Cererem campis, & mittere collibus uvas  
Efficit, armoso dividit arca bove.  
Gramina Pace vident, præpingua pascua, letum  
Luxurias multa fertilitate pecus.  
Pax cebit auratas peregrina per aquora merces,  
Et steriles ponti, non sine esse vias.  
Pax hilares mensas facit, & convivia passim,  
Et recreat molli tristia corda mero.  
Pax aperit thalamos, Hymeneaque carmina cantat,  
Excitas, & resides non sinunt esse lyras.  
Pro gladiis lances gerit, & pro caside scuta,  
Et sua Palladia tempora fronde ligat.  
Gestit, & ad superos agili volat ardua saltu,  
Et vocat ad festos agmina longa dies.

21 Sed qui tantopere Pacem extollimus & optamus, non idèo tamen Principibus nostris, ut eam imparati, & exarmati desiderent, suademus. Scimus enim quantam cladem Hispania nostræ Witze, & Rudericii ob hanc causam ignavia recordia paraverit, & prudentissimum esse Vegetii (*x*) Aphorismum, monentis, Ergo qui desiderat pacem præparet bellum, & Manlii Capitolini, apud Livium dicentis, Ostendite modo bellum, Pacem habebitis, videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent, necnon & illud Thucydidis (*y*), inquietus, Pax, bello magis confirmatur, otium vero semper belli metum, & periculum conjunctum habet, quam in rem plura alia, prudenter satis noster Saavedra (*z*) perpendit.


22 Quod igitur cupimus, quod mōnemus, èd dumtaxat tendit, ut Pacis commodis patfactis, ejus amorem Christianorum Regum, animis infingamus, quo incensi, à belli dannis abstineant, honestisque fœderibus, de antiquis juriis, & questionibus transigant, & tandem templum Jani, tot jam Iustis reseratum, fida perpetuaque concordia concludant, scientiae, quamlibet pacem, quolibet bello meliore esse, & juxta Martiani Imperatoris dicterium, Stultum, Paci bellum præferre. Faxique Deus, ut hic Nobis citò dies illucescat:

Supero concitus ab axe;  
Tunc geminas Pax Alma tibi sacrabimus aras,  
Ante pedes cadet alba tuos, tibi grata columba.

(u) Ravis. Text. in offio. pag.  
(x) Veget. lib. 3. in Prolog.

(y) Thucyd. lib. 1.  
(z) Saaved. Empr. 98. ex pag. 719.

## CONCORDIA QUOS UNIT, MUNIT.



Quos urbis muros? Validam quam cerno coronam?  
Non lapis accingit, mænia viva vides.  
Sunt cives, quos unit Amor: Concordia firmat,  
Non urbs muniri fortius ulla potest.  
Inconcussa manet gens atque ignara pericli,  
Cui Pax est scutum, murus abenus Amor,

## COMMENTARIUS.

**C**oncordia, quæ diversorum cordium affectus, & voluntates in unum conjungit unde & nomen accepit, pacem quidem generat, vel à pace generatur: numquam enim in mutua bella prorrumpent, qui eodem animo, intentioneque sociantur. Nec externa timere poterunt Principes, qui confines terminos habent. Si vires simul, & animos jungant, suoque exemplo, suos, in æqualem conjunctionem, & defensionem permoveant, legem videlicet, ordinemque nature sequentes, quæ omnia distinxit, simul atque constrinxit, totamque hanc rerum molem, mundum unum ex pluribus rebus efficit, & ut ait Nazarius (*a*), & alii (*b*), Concordiam, fundamentum, ac radicem orii, bonorum civilium seminarium, quietis publicæ, ac civitatum segetem & aliam Pacis nutricem esse voluit, & illud bonum, sine quo nemo novit sua bona.

**2** Quod foris indicat illud libri Job (*c*), Potestas & terror apud eum, qui facit concordiam in sublimibus suis, quasi habere potestatem faciendi concordiam, aut comparandi pacem, sit omnium bonorum aggregatione potiri. Et benè agnoscentes sapientissimi omnium Athenienses, ut Paulus Orosius (*d*) scribit, etiam suis malis satis docti, cunctaque, vel bona, vel etiam mala, quæ foris geruntur, internis esse radicata, & emissâ principiis, domi abstergere odia, & foris bella presserunt. Et Paulus Æmilius (*e*) scitissime monuit, Nullam prævalidam armis gentem, inter se consentientem, vinci ab extero hoste, quamvis feroci, opibusque præstantissimo, posse.

**3** Idemque, præclarus quoque, ante ipsum docuit, Sallustius (*f*), Micipsan, ita suis filios admonentem, inducens. Regnum vobis tradò, firmum, si boni eritis, sin mali, imbecillum: nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxime dilabuntur. Quam orationem Severus quoque Imperator moriens, ut Dion (*g*) memorat, legendam suis liberis misit, cum animadverteret inter

(a) Nazar.. in Paneg. ad Constant.

(b) Paschal. in legato, cap. 53. Petr. Gregor. de Repub. lib. 23. cap. 3. num. 13.

(c)

(d) Paul. Oros. lib. 2. cap. 17. in fin.

(e) Æmil. lib. 1. de Gest. Franc.

(f) Sallust. in Jugurt.

(g) Dion. Nizeus, Xiphil. in Severo.

ipso, jam tum, odii favillas scintillare.

4 Et de Sciluro Scytha, Plutarchus (b), & Stobæus (i) enarrant, quod triginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum jaculatorum singulis prorixit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videtur impossibile, ipse singula jacula exemit, atque ita facilè omnia confregit; filios his verbis admonens. Si concordes eritis, validi invictique manebitis; contra, si disidiis, & seditione distractabamini, imbecilles eritis, & expugnati faciles.

5 Quo exemplo, in expilanda equi cauda Sertorius usus esse narratur, & sunt plures, qui ad eamdem Concordiae vim, & utilitatem ostendendam Tyrrheni, & Scyi lapidis Insulae Cicadicæ, similitudine utantur, cuius, secundum Plinium (k), & Aristotalem (l), ea est natura, ut dum est integer, quamvis grandis, in aquas proiectus, fluctuet, & natet, communitus, in partes divisus, pessum eat, atque considat, inde inferentes, sic homines, cujuscumque sint sortis, concordia sustineri, discordia vero pessum dari.

6 Quod etiam Aristides Sophista, & Dion Prusæus, latissimis, & elegantissimis orationibus de Concordia habitis, prosequuntur, & Prudentius (m), non minus eleganter, hoc carmine designavit.

*Publica sed requies; privatis rure foroque  
Constat amicitias. Scissura domestica turbat  
Rem populi. Titubat foris, quod dissidet intus:  
Ergo cavete viri, ne sit sententia discors  
Sensibus in vestris; ne secula exotica teclis,  
Nascatur conflata odis, quia scissa voluntas  
Confundit variis arcana biformia fibris,  
Quod sapimus conjungat amor: quod vivimus, uno  
Conspiret studio, nil dissociabile firmum est.*

7 Alciatus etiam, quā sit utilis, & necessaria, hujus documenti cognitio ostendere volens, tria Emblemata successivæ, ad illud suadendum, excussum. Quorum Primum (n) ex Cornicibus (quæ concordiae symbolum præbent) Regium sceptrum comitantibus, ac velut sustinentibus, sumpsit; ut significaret, Principibus, & Regibus hanc unam, & primam esse curam debere, ut inter se populosque suos concordiam tutentur, omnesque bellorum, motuum, & seditionum causas præcidant, si suum statum tranquillum, & securum esse velint. Secundum (o), ex duobus Romanis ducibus, post mutua bella in concordiam, & mutua fœdera, prorrectis contrictisque ultrò citrō dexteris, coeuntibus, quod signum concordiae esse, bene ibidem ipsius Commentatores, & alii passim Auctores observant.

*Ut quis jungit amor, jungat & ipsa Manus.*

Tertium (p), quod ad rem nostram magis conducit, sub Gerionis figura, quem Veterum fabule tricorpem, aut tricipitem configabant, non quod revera hoc habitu esset, sed, ut Justinus (q), & alii plurimi (r) tradunt, quia tres fratres hujus nominis erant, tanto amore, tanta que fide conjuncti, & ea se concordia, mutuisque auxiliis juventes, ut unica ipsi anima, & voluntas esse videbatur. Talisque exinde vigor, ut vel Herculi ineluctabiles se præstarent, nec nisi separati vinci, ac superari potuerint, hoc pacto subindicantes, hanc virtutem esse potissimum Regum Regorumque munimentum. Alciati carmen sic habet.

*Tergeminos interfuerat concordia fratres,*

*Tanta simul pietas mutua, & unus amor:*

*Invocti humanis, ut viribus ampla tenerent.*

*Regna, uno dicti nomine Geriones.*

8 Batilius Labæus (s), ex illo Sciluri supra relato, in eamdem rem, hoc Emblema componuit, sub lemmate Concordia insuperabilis.

*Singula que minimo infringas bastilia nisu;*

*Non toto inflebas robre nexa simul.*

*Robore tan firmo stat firma potentia concors,*

*Tan facile infringi dissociata potest.*

Sic enim, ut Philosophi loquuntur.

*Unita virtus, valentior est se ipsa dispersa.*

Pierius etiam Valerianus (t) inquit, Romanos Veteres, per Lyra hieroglyphicum concordiam

(b) Plutarch. in apoph.

(i) Stob. serm. 82.

(k) Plin. lib. 2, cap. 106. & lib. 26, cap. 17.

(l) Aristot. de nat. cap. 12.

(m) Prudent. Psychom. 7.

(n) Alciat. Emb. 38.

(o) Idem Emb. 39.

(p) Idem Emb. 40.

(q) Justin. lib. 44. ad fin.

(r) Pier. Valer. lib. 38. cap. de tricipicio. Natal. Comes lib. mythos.

(s) Battil. Emb. 188.

(t) Pier. Valer. lib. 47.

figurasse. Quo eodem symbolo, illo non citato, noster Saavedra (u) novissimè utitur, sub Epigraphe, *majora minoribus consonant*, plura quidem satis prudenter considerans harmonia, & consonantia, quæ in omni concordi, & benè ordinata civitate, vel Monarchia desideratur.

10 Et ante ipsos idem insinuasse videtur Petrus Costalius (x), ad eamdem vim concordiæ, illud Amphionis transferens, Thebanam urbem sui plectri modulis construentis, sic inquiens.

*Musicus Amphion citharam dum plectre pulsat*

*Septifores Thebas condidit ad n. merum*

*Præstitit hoc concors modulæ gratia cordæ*

*Maibus, ut populum cogeret ille ferum:*

*Sic divina statuum Concordia continet urbis,*

*Et ligat unanimi barbara corda fide.*

11 In quorum illustrationem Ego Cassiodorum (y) adjicto Lyra, vel cythara adinventionem commemorantem, & nihil efficacius inventum fuisse inquietem, ad promovendos animos, quā concavæ cytharae blanda resultatio, hinc existimare licere, cordæ appellationem fluxisse, quod facile corda moveat. *Uoi tanta est*, inquit, *vocum collecta suo diversitate concordia*, ut vicina corda pulsata, alteram faciat sponte contremiscere, quam nullum contigit attigisse. *Tanta enim vis est convenientiæ*, ut rem insensualem sponte se mouere faciat, quia ejus sociam constat agitatum. *Hinc diversæ veniunt*, sine lingua voces: *binc variis sonis efficitur*, quidam suavissimus chorus, illa acuta, nimia tensione, ista gravis, aliqua laxitate, bæc media, tergo blandissimè temperato. Ut homines se ad tantam perducere, non prævaleant unitatem, in quantum ad socialem convenientiam ratione carentia pervenerunt, &c.

12 D. Sebastianus Covarruvias (z), post Divum Gregorium (a), Jobi (b) similitudine utitur, de dæmore ita loquente, *Corpus illius, quasi scuta fusilia, conjunctum squamis se prementibus, uni una conjungitur*, &c. & loricanam, his squamis fabrefactam, depingit, quartum unionem, quemadmodum draco suum corpus tegi, ne citius ullius penetretur jaculatione, ita milites armari solent, ut securius adversariorum iactus recipere, ac retundere possint, atque valde intentioni nostri Emblematis cohærenter, eadem unione exercitus invencibiles reddi. Covarruvia Rithmus sic habet, sub leme, *Una uni conjungit*.

*Imita la loriga à la escamosa*

*Piel de serpiente, de conchuelas llena,*

*Estando unida en todo trance es buena,*

*Que junta una con otra, es poderosa*

*Hermosa vista hace, aunque terrible.*

*A resistir el golpe muy sin pena,*

*I para todo trance es invencible.*

13 A Covarruvia parum discrepans Saavedra (c), ad eamdem concordiae virtutem iterum designandum, & quod ei omnia cedunt, constipatam cuneatamque Romanorum militum manum commentus est, quibus in more erat, ut Lipsius ostendit, suis se scutis, vel clypeis unitis, ita congevere, ut hostium muros tutò condescenderent, sive scandere possent.

14 Nós autem, nihil his aliorum adinventionibus detrahentes, & quā sit utilis, atque insuperabilis Concordia, suadere conantes, præsenti Emblemate utimur, pulchra urbe depicta, quā mœnium loco, armati adunatique cives, alii alijs hærentes, circumdant, & strenuo hoc robore, & munimine, inexpugnabilem reddit. Quod ex illo celebrato Isæ Sophista apophthegmate concinnavimus, qui, narrante Philostrato (d), cum Lacedemonii periclitarentur, ac de ciuitate mœnibus cingenda, consultarent, Homericum carmen recitavit.

*Scutum hæsit scuto, Galeæ galea, atque viro vir.*

Et adjicit.

*Sic mibi state Lacedemoni, & muri cincti simus,*

15 Cui similis Agesilaus, ut Plutarchus (e), & Erasmus (f), recensent, à quadam percontatus, quā ob causam Sparta mœnibus non cingeretur, ostendit cives armatos, & unanimes *Hi*, inquiens, sunt Spartanæ civitatis mœnia, sic docens, Respublicas nullo munimento tutiores esse, quā civium consentientium virtute. Et iterum similiter, cum alias hoc ipsum interrogasset, *Civitatem non saxis lignisue, sed pro vallis, & mœnibus, incolentium virtute muniri oportere*, respondit, *quos si jungit Concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior*.

16 Recentior quoque, sed relau digna in eamdem rem videtur cujusdam Comitis Neoburgensis historia apud Beyerlinchium (g), qui cum hanc urbem denuo, & pulcherrimam condidisset

(u) Saaved. Emp. 61. ex pag. 464.

(x) Costal. in Pegm. pag. 312.

(y) Cassiodor. lib. 2. epist. 40.

(z) Seb. Covar. cent. 2. Emb. 35. pag. 135.

(a) D. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 31.

(b) Job. 41.

(c) Saaved. Emp. 89. ex pag. 659.

(d) Philost. de vit. Philosoph. lib. 1. pag. 514. Pet. Gre-

gor. lib. 2. de Repub. cap. 2. num. 4. Caramuel. qui hoc

dictu missæ, carminibus celebrat in lib. de insig. Hispan.

pag. 193.

(e) Plutarch. in Apoph. Ages.

(f) Erasm. lib. 1.

(g) Beyerlinch. in The. verb. urbs & aliud simile lit. P.

pag. 979.

set, ad eamque visendam Imperatorem invitasset, hic ea summè laudata subinxit, solum notari posse, quòd muris cincta non esset. Cui Comes sequenti die se muratam ostensurum, pollicitus est; cumque ad hoc Imperator rideret, classicum tangi jussit, & cives suos armatos, juxta ordinem sibi, jam anteà traditum stationes sibi concreditas, juxta militaria instituta occupare, totam villam circumvallantes. Quod cum dicto citius impletum esset, Imperatori dixit, ea sua esse menia, quod ipse hilariter congratulatus admissit.

17 Ad illumque Homeri versum, ille alter Virgilii (b) videtur alludere.

*Concurrunt, heret pedi pes, densusque viro vir.*

Ubi Servius Pontanus, & Cerdia plura alia similia loca notarunt. Et Plutarchus (l) de Antigono Asiae Rege scriptum reliquit, amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, validis illam præsidio communiret, ne quando deficeret, summaque cura, ut totius Græcia basim custodiret, respondeisse, se semper in hac fuisse sententia, ut crederet, nullum esse Regni præsidium firmius, quam civium benevolentiam, atque concordiam.

18 Quam etiam per plures angues circumvolutos significari, Pierius Valerianus (k), post Plinii, considerat, addens, inde factum videri, ut Caduceus in Pacis argumentum, circundata anguum effigie formatus fuerit. Extatque apud Sylvestrum Petra sanctam (l) symbolum aliud Caroli Federici, Juliae Cliviae montium Ducus, qui sparsa in clypeo civium corda gestabat, cum duplice Epigraphe altera Latina, *Hic murus abenus esto, altera Italica, cuius erat sensus, Benevolentia est optimum præsidium, sic ostendens, hac certè multò securiore reddi Principem, quam muris, & arcibus communis. Et novissimè Joannes Ovensus (m), suæ Britannæ similes vires hoc Disticho clausit.*

*Anglorum portæ sunt portus, mœnia classes*

*Castra aquor, valli corpora, corda Duces.*

19 Quæ omnia pro illorum opinione conductunt, qui urbes mœnibus esse cingendas negantur, quas ita munitas (ut Plutarhus (n) tradit) Licurgus, Panthoidas & Agis, mulierum præsidium, conclave, sive ginetum, appellare solebant, & expertem muri eam urbem dici non possem, quam virorum non laterum corona armaret. Cum quibus, & si ipse non sentiam, Petrum Gregorium (o), & alios sequutus, qui earum munitionem necessariam esse, pluribus argumentis evincent, & inde urbes ab urbo arati, quo mœnia delineari solebant, oppida ab hac murorum appositione, seu mutua ope, quæ alia alii præstare solent, dicta considerant, negare tamen non possunt tutoiem validiorem earumdem, & cujuslibet Regis Regnique defensionem, ab hac civium, & Regnorum concordia, mutuoque inter se nexus, & unione, peti, & sperari debere.

20 Etenim, ut in Proverbiis (p) Salomon dixit, *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, ubi Septuaginta Interpretes legunt, Frater à fratre adjutus, quasi urbs munita, & excelsa, invalescit autem, tamquam fundatum Regnum, verè enim, ut Isocrates ad Nicodem, & Plautum (r), à Me alibi (s) relati, dixerunt in civium concordia, & bonis moribus firma urbi mœnia consistunt.*

21 Nec minus verè, ex eadem concordia, oratione Valerii Maximi (t) inter Senatum, & Plebem Romanam stabilita, non solum urbem mœnibus roboratam, sed Urbem urbi junctam, alter Valerius scripsit. Et apud Cornelium Tacitum (u) Brittani leguntur, legationibus, & foederibus omnium suarum civitatum vires excivisse, ut Romanis resistere possent, *Dolci communitate periculum concordia propulsandum.* Quem locum Lipsius (x) illustrans, verba hæc aurea applicat, & omnibus imbibenda, alia similia Hermocratis Siracusani ex Thucydide (y) referens. Unde & Adagium fluxit, *Concordia fulcuntur opes, etiam exiguae, quod Erasmus (z) ex illo Homeri (a) carmine sumptum existimat. Coniuncti poliet, etiam vehementer inertes.* Et potuit etiam allegare Horatium (b) ita hoc verum esse testantem.

*Felices ter, & amplius*

*Quos irrupta tenet copula: nec malis*

*Divulsus querimonis,*

*Suprema citius solvet amor die.*

## EM-

(b) Virgil. *Aeneid.* 10.

(i) Plutarch. in *Apoph.*

(k) Pier. lib. 15.

(l) Pet. Sanct. lib.

(m) Oven. lib. 1. epigram. 40.

(n) Plutarch. in *Apoph. Lacon.*

(o) Petr. Gregor. lib. 2. de Rep. cap. 3. l. pupil. §. opidum de verbis. signific. D. Isidor. lib. etym. cap. Ego 2. tom. lib. 1. cap. 13. num. 14. novissimè Bernerger. in *quæst.* ad *Tacit. de mor. German.* quæst. 82.

(p) Proverb. 18. 19. ubi vide Salazarium.

(g) Isocrat. ad *Nicos.*

(r) Plaut. in *Pers.* ador. 4.

(s) Ego 2. tom. lib. 2. cap. 2. num. 69.

(t) Valer. Max. lib. 8. cap. 9. in *princip.*

(u) Tacit. in *Agricola.*

(x) Lips. ad *Tacit. sup. nota 42.*

(y) Thucyd. lib. 4.

(z) Erasm. in *Adag.* pag. 124.

(a) Hom. *Iliad.*

(b) Horat. 1. *Carm. Od.* 13.

## EMBLEMA XCVI.

## ORANDUM, ET OPERANDUM.



*Quod Templum? Jani, quæ gens? Romana, quid orat?*

*Omne bonum, quid agit? Comprimit omne nefas.*

*Vota juvant, credenda tamen non omnia votis,*

*Rem gere consilio, corripe tela manu.*

*Audentes Deus ipse juvat, juvat inclyta Regis*

*Dexter. Tu laudi consule, teque juva.*

## COMMENTARIUS.

**N**ivius ille Plato (a), in minimis etiam rebus, divinum semper præsidium implorari auspicarique debere scriptum reliquit, & Romani præsto instituto; ut Valerius Maximus tradit, *Rebus divinis operam dabant, cum aliiquid commendandum esset, precatio: cum exposcendam, voto: cum solvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel exitis, vel sortibus, impertito: cum solemni ritu peragendum sacrificio.*

**2** Quod institutum Cicero (b), Livius (c), Auctor ad Herenium (d), Curtius (e), Boetius (f) Severinus, & alii à Petro Fabro (g) diligenter relati, commendant. Sed nemo melius Plinio Juniore, qui celebrem illam Panegyrim, Trajano dictam, sic exorditur: *Bene ac sapienter P. C. Majores instituerunt, ut quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur: quod nihil rite, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, ausplicantur.*

**3** Eundem quoque morem apud Græcos viguisse, satis ostendit Xenophon (h) dum admonet Cyrum, *Conari, omne opus cum diis aggredi, quia dii non secus rebus civilibus, quam bellicis present, ac dominantur. Nullaque est Natio, quæ non id ipsum, quantumvis barbara, moverit, & veleti in Adagium illud Virgilii (i) carmen traduxerit.*

*Ab Iove principium Musæ, Jovis omnia plena.*

Ubi Cerdia noster plurima similia loca commemorat.

**4** Sed hoc quidem cum semper, tum præcipue in bellis consulendis, ineundis, ac conserendis, præcedere debet, ut Onosander (k), *Ælias Reusnerus (l), & alii rei militaris Auctores animadvertiscant, in quibus, quod majus periculum vertitur, eò diligentius, & devotius Deus est exorandus, ex cuius nutu omnia, & maximè bellorum exitus pendet, & ut passim Sacrae literæ (m)*

(a) Plato in *Thim.*

(b) Cicer. lib. 7. de *Divinis.*

(c) Livius lib. 6. *Dead.* 1.

(d) Auct. ad Heren. in *princip.*

(e) Curt. lib. 3.

(f) Boet. de *Consolat.* lib. 3.

(g) P. Faber. in *Decad.* cap. 1. in *princip.*

(h) Xenoph. in *Cyriope.*

(i) Virgil. *Eleg.* 3-vers. 30. Valer. Maxim. in *præfat.*

(k) Onosander. lib. 1. de *re milit.* in *princip.*

(l) Reusner. lib. 1. artis strateg. cap. 17.

(m) Osee 12. 5. Zachar. 1. 3. 4. & 4. 6. Isai. 14. Esdr.

1. & 2. Paralipom. 16. Psalm. 19. 8. latè plures apud Me.

rom. 1. lib. 2. cap. 4. num. 78. & seqq.

docent, exercituum, & bellorum Dominus appellatur, & fortitudinem præbet iis, qui corde perfecto credunt in eum. Et non iis, qui in curribus, in equis, aut in multitudine gentis confidunt, sed qui in ejus nomine spem repositam habent, victoriam concedere solet.

5 Unde, quemadmodum audax semper, & execrabilis habita fuit vox illa Ajacis, Capanei, & Mecentii, apud Sophoclem (n), Statium (o), & Virgilium (p), de suis viribus, ita confidentium, ut dicerent:

Dextra mibi Deus, & telum, quod missile libro,  
Virtus mibi Numen, & ensis

Quem teneo.

6 Ita longè cordior alia Titi Imperatoris, qui, Josepho (q) narrante, cum de Judæis, Hierosolyma capta, se victorem videret, admiratus tantam urbem, tamque munitam fuisse superratam, dixit: *Planè Deo adjuvante pugnavimus*, & ut addit Philostratus (r), propter illam victoriam coronari noluit, quia divina virtute opus illud perfectum esse videbat, non sua. Rectè dicere potuit D. Augustinus (s). O Homo, ideò non vicisti, quia de tuo presumpsi: qui presumit de viribus suis, antequam pugnet, prosternitur.

7 Et talis ac tanta vis in ejusmodi prectionibus inest, ut vel ea sola Moyses victoriam ab Amalechitis (t) obtinere meruerit, plus levatis ad celum manibus quam exercitus strictis mucronibus consequens, & ut Divus Chrysostomus (u) addit, *Occulta pugna, manifesta victoria, latenter dimicans, ut evidenter devincat*. Et David, eodem (x) testante Chrysostomo, plus semper in illis, quam in suis phalangibus, aut legionibus fiderit, & plures hostes orando, quam pugnando fugaverit, ut ipse de se ipso prædicat inquiens, in tribulatione ad Dominum clamasse, illumque pro se pugnantem, & sagittas suas, fulgura, terræmotus, aquarumque inundationes inhostes suos mirisse (y). Quem locum, non tantum metaphoricè accipendum Genebrardus, (z) & Mendoza (a) arbitrantur, sed etiam ad literam, quia Deus servo suo, ob meritum orationis, miraculosè celestibus armis, & auxiliis succurrere voluit.

8 Non secus, atque Magnus Theodosius ob similem pietatem promeruit, ut venti pro eo contra Eugenio Tyrannum, apud Aquilejam pugnarent, & tela ab hostibus missa, in eosdem acriter retorquerent, ut post D. Ambrosium (b), & Augustinum (c), plures Auctores (d) enarrant, & Claudianus vates, licet Christianus non fuerit, illis versibus refert, & effert, quæ, & alia, supra in alio (e) Syntagma posui.

9 Idem, ante Theodosium, Marco Aurelio Imperatori, licet Ethnico, ob preces legionis Christianorum, dictæ Melitina, quam secum ducebat, contigisse, fulminibus de celo in Marcomanos hostes contortis (unde & ipsi legioni deinceps, Fulminatricis, nomen inditum fuit, apud Nos Lanza Rayos) satis constat ex Epistola, quam ad Senatum Romanum scripsit, cuius post Justinum Martyrem (f), Tertullianum (g), Orosium, & alios (h), mentionem facit Baronius, & his verbis concepta erat: *Eramus quippè in hostili solo, ex qua aqua carere coperamus, obsesi. Confestim autem, ut procubuerant Christiani in facies, & preces fuderunt ad ignotum mibi Deum, descenderunt de celo, in nos quidem frigidissimus imber, in nostros vero hostes grando mixta fulminibus, ut sine mora sentiremus, prestò esse invictam opem Dei Potentissimi.*

10 Luculentius ad hoc, & certius exemplum ex Sacra Josue historia (i) discere possumus, quo, cum populo, per septem dies orante, & urben Jericho, quam obcederant, cum Arca fæderis religiosè circumveunte, illius muri ad solam ejusdem populi vociferationem, & tubarum clangore illicè corrugerunt: *Porque no hace la Artilleria tan gran brecha como la oración*, ut Saavedra noster (k), benè, camdem historiam in hoc expendens, animadvertisit.

11 Cui, alia, relatu digna, profana licet, adjici potest, de Augusto Cæsare, qui, ut Dion (l), & Suetonius (m) referunt, ad bellum Philippense pro patris ultione profecturus, post preces Marti ultori fusas, ei templum vovit, & victoria potitus exolvit. Quo respiciens Ovidius (n) sic cecinit:

Mars ades, & satia sceleratos sanguine ferrum,  
Vicerat, & fuso letus ab hoste redit.

12 Plura similia exempla victoræ, orationum piarum meritis impetratae, plures passim libri sup-

(n) Sophoc. in Ajas.

(o) Statius 2. & 10. Thebaid.

(p) Virgil. 10. Æneid.

(q) Joseph. lib. de Bell. Iudaic. cap. 16.

(r) Philostr. lib. 6. de vita Apoll.

(s) D. August. in Serm. de verb. Apost.

(t) Exod. 17. 8. Deut. 25. 17. cap. Si quis vult. 36. dist.

(u) Chrysost. in Serm. de Moïs. 1. tom.

(x) Idem lib. 1. de oran. Deum.

(y) Psalm. 17. 7. & sequent.

(z) Genebr. in Psalm. 17.

(a) Mendoza. 1. Reg. c. 7. vers. 14. annotat. 27. test. 3. n. 3.

(b) D. Ambros. Psalm. 36. vers. 15.

(c) D. August. de Civit. Dei, lib. 5. cap. 26.

(d) Orosi. lib. 7. cap. 35. Euseb. lib. 11. Histor. Eccles. cap. 33. Baron. Ann.

(e) Supr. Embl. 10.

(f) Justin. Mart. apol. 2. in fine.

(g) Tertul. in Apol. cap. 5.

(h) Euseb. Orosi. Nicéph. Galist. Paul. Diacon. & alii apud Baron. ann. Christi 176. fol. 192.

(i) Josue cap. 6.

(k) Saaved. Empr. 25. pag. 17.

(l) Dion in August.

(m) Sueton. in Oct. cap. 29.

(n) Ovid. 5. Fast.

peditant, & præcipue Hispani (o), qui toties divinas apparitiones B. Virginis, Sanctæ Crucis, D. Jacobobi, Æmiliani, aliorumque Sanctorum, pro nobis pugnarium, referunt, & extollunt. Et pro multis illud Wambæ sufficiat, qui, ut ex Luca Tidensi Baronius, & alii (p) recensent, anno 674. reparatæ salutis, contra Ildebranicum, & Paulum, sibi perduelles, tyrannosque pugnaturus, non prius acies committere voluit, quæ exercitum suum ab omni adulterorum facinorosorumque militum fræce penitus expurgaret, & cum reliquis, licet numero paucis, piis precibus, & expiationibus præcedentibus, alacriter prælium initit, & Angelos super castra, corusca volitatione sibi suppeditas ferentes, videre promeruit. Quod & rerum declaravit eventus, & æquè certum, ac pius esse demonstrat, illud Monitum, quod Alphonsus Rex Aragonum I. apud Bartholomæum (q) Facium Ferdinando Filio dedit, his verbis: *Tunc denique tibi militares artes profuturas scito, cum Deum tibi pietate, ac justis factis reddideris propitium. Eum igitur, si vincere expetis, pura mente colito, spemque omnem victoria in eo reponito.*

13 Quam disciplinam, licet Catholici, & gloriosi Hispanie nostræ Reges, veluti hæreditariam præferant, & qui nunc regnat, & diutius utinam regnet, Philippus IV. Rex, ac Dominus noster Optimus. Maximus, piissimus, frequentissimisque suis in hanc rem actionibus, & prectionibus, postoris commendatiorem reliquerit. Adhuc tamen ad eam magis adhortandam, & suadendam, opera pretium duxi hoc Emblema superioribus addere, ex Romanorum moribus sumptum, qui ubi se ad externa bella suscipienda, vel inferenda parabant, non solùm vanos Deos consulebant, & variis sacrificiis placare curabant, verùm & indictis publicis rogationibus, ad Jani Templum Populus concurrebat, ejusque apertis foribus, & ante ipsas suppliciter provolutus, pro bono eventu pias preces fundebat, prius tamen maxima cura habita, ut ab omnibus sceleribus expiarebatur; sed ita tamen divinum auxilium invocantes, & promereri studentes, ut interim nihil ex militari cura, & bellico apparatu detraherent.

14 Quod Templum, jam inde à Numæ temporibus, ut in ejus vita tradit Plutarchus (r), duabus erat januis instratum, quæ Belli Portæ dicebantur, statutumque, ut quando bellum gerendum esset, aperirentur, pace vero redditæ, clauderentur, ut præter Livium (s), & alios (t) eleganter ostendit Poëta (u), sic canens:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes  
Albana colvere sacrum, nunca maxima rerum  
Roma colit, cum prima movent in p[ro]elia Martem,  
Sic[us] Getis inferre manu lachrymabile bellum,  
Sunt Gemine bell[i] portæ (sic nomine dicunt)  
Religione Sacra, & sævi formidine Martis.  
Certum ærei claudunt vecches, aeternaque ferri  
Robora: nec custos absitit limine Janus,  
Has ubi certa sedet Patribus sententia pugnae,  
Ipse Quirinali trabea, cinctusque Gabino,  
Insignis, reserat stridentia limina Consul,  
Ipse vocat pugnas: sequitur tun cetera pubes,  
Aereaque assensu conspirant cornua rauco.

15 Intraque ipsum Templum, Furorem Bellicum vinclum, & catenatum, armisque insidentem Pacis tempore coerceri, & bello indicto dimitti, ipse idem Poëta non minus eleganter ostendit, his verbis:

Diræ ferro, & compagibus artis  
Claudunt intus bell[i] portæ. Furor impius intus,  
Sæva sedens super arma, & centum vinclis abenis  
Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

16 His in locis alia similia aliorum Poëtarum, Virgilii Commentatorum adducunt, Templique hujus usque ad Justiniani tempora descriptionem, & quoties clausum fuerit, latè ex Procopio, & aliis Dempsterus (x) recenset, & Petrus Ligorius (y) cærenomias, quibus aperti soleret, adjungit. Et Alexander ab Alexandro (z), ut ostendat, non solùm in eis, & in prectionibus, Romanos suam spem collare, signanter scribit, præter eas, & Templi apertione, in Martis Sacario, aut in Curia Saliorum, Ancilia (idest rotunda illa scuta, Numæ tempore Romanis è celo demissa) prius moveri solita fuisse. Quasi eo motu Marte è sua sede excirent: eoque propitio, & volente, arma expediri, legiones conscribi, exercitus parari, atque omnia hostilia esse, designarent.

(o) Theat. vite human. verb. Oratio. Tamajus Salazar in Triumph. B. Virg. Maria.

(p) Baron. & Spond. ad ann. Christ. 674. Corolian. in Breviar. Chronolog. ed. anno.

(q) Barthol. Facius lib. 1. hist.

(r) Plutarc. in Numa.

(s) Liv. lib. 1.

(t) Varr. de Ling. Latin. lib. 4. Plin. lib. 34. cap. 7. Ro-

sin. lib. 2. cap. 3.

(u) Virgil. Æneid. 7.

(x) Dempster. ad Rosin. diel. cap. 3. pag. 102.

(y) Petr. Ligor. in lib. de Circis.

(z) Alexan. 1. Gener. cap. 26. ubi Tiraq.

17 Certò enim certius est, Deum ipsum, qui valde nostris votis, ac precibus gaudet, aqua lance desiderare, ut non ita se totum Princeps, vel quisvis aliis, pietati concredat, quin sua ex parte rei gerenda se aptet, & ita in divinis auxiliis speret, ut humana disponere pro viribus curet. Scitum est enim illud Ovidii (a):

*Ignavis precibus fortuna repugnat.*

Et ut Sallustius (b) sub persona M. Portii Catonis prudentissimè monuit, *Non votis, neque supplicationibus multibibus, auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, benè consulendo, prosperè omnia cedunt.* Ubi socordie te tradideris, ne quicquam Deos implores, irati offensique sunt, quod adeò verum reputat Livius (c), ut dicat, *stalititia est, sedendo aut votis debellari credere posse.* Armari copias oportet, & deducere in equum, ut vir eum viro congregari.

18 Qui etiam alibi (d) Ducem quendam acriter reprehendit, quia sperabat, nihil agenti, de celo sibi victoriam in sinu devoluturam, vel dormienti, ut Terentius (e) ait, *hac conjecturos Deos, ut de Timotheo Atheniensium Imperatore olim referebatur, cui, quod multa feliciter obtingerent, magis commoditate fortunæ, quam ipsius opera dictum fuit, dormienti ei urbes in rete intrare.* Quod Adagio locum fecit, *Dormienti rete trahit, ubi Erasmus (f) alia congessit, & Emblemati Batilius, (g) quod sic habet:*

*Huic urbes captas fortuna in retia cogit,*

*Dum jacet, & molli membra quiete levat.*

*Sic multis mens lœva, quibus sit numina dextra,*

*Et male res copte, res bene semper eat.*

19 Tendit quoque in idem aliud Lacedemoniorum Proverbium (h): *Adnota manu Fortunam esse invocandam, quo significabant, orandum simul, & operandum, & nihil ignavis votis Fortunam concedere, ex quo Schoonhovius (i) hoc Emblema formavit, sub figura fortunæ, sic supplicibus, ante se positis, respondentis: Rebus in humanis nostrum solamen openque,*

*Nil juvat ignava sollicitare prece;*

*Audentes fortuna juvo: conamina vestra*

*Jungite, & hoc nostrum præstè erit auxilium.*

20 Et apud Græcos, secundum Erasmus (k), & Junium, aliud percrebut, *Non omnia per bovem obtinebis, vel ne contra bovem opta.* Quo pariter indicare volebant, non tantum sacrificiis, aut litationibus, votisque pro arbitrio omnia cessa, sed laborandum quoque nobis esse, si compotes voti evadere cupimus, & Aeschylus illud mente versandum.

*Quisquis laborat, huic manu præbet Deus:*

*Laboranti debetur divinitus gloria, laboris proles.*

21 Neque aliud monere voluerunt Avienus (l), & Faenrus (m), fabulam confingentes, de quodam auriga, sive bubulco, qui vulsis crinibus, & tensis ad celum palmis, juva Juppiter, vel juva Hercule, frustra clamabat, cum ipse manus non admoveret equis, sive bobus, & currui, qui in foveam, vel paludem incidenter, & desuper ei responsum fuit *Juva te ipsum, quod etiam in Adagium pertransiit, & apud Nos (n) hoc carmine commendatur, A Diōs rogando, i con el mazo dando.* Avieni carmina hæc sunt:

*Perge laborantes stimulis agitare juvencos,*

*Fac superos animis conciliare tuis.*

*Et manibus pigras discē juvare rotas.*

*Disce tamen pigris, non flecli numina votis,*

*Tunc quoque congressus majoraque viribus ausus,*

*Præsentesque adhibe, cum facis ipse, Deos.*

22 Ex qua Fabula, vel simili, agasonis in lapsu asini ociosè Herculem invocantis, symbolum quoddam exhibuit Achilles Bocchius (o), sic ex illo deducens:

*Fac ergo, quisquis es, aliquid tu te interim,*

*Deinde invocato numina.*

23 Et Batilius hoc (p):

*Alcidem lapsò rogit, ut succurrat assello, Cui Deus. Ad primum tu hæc otia tollere debes,*

*Nec se se ipse, sedens, segnis agaso moverit: Primus, & ad partes ipse venire tuas. Sic postea (q) in ejusdem Emblematis notis subjiciens, Nihil boni parat otium inane, neque Deus otianibus assistit. Terran limosan nemo fortuna relinquit, ut ex illa lateres conficiat, neque coriion possidens, aut lanam otiosus sedet, fortunam precibus fatigans, ut ex hac materia togam, & calceos paret. Nempe ars non expectat fortunam, sed labor, cum Minerva manus admovenda, laborantem Deus paviter adjuvat. Sic olim Sagittario invocanti Deus affuit, & telum una direxit; sic Cytharedo Orthium canenti, cum ner-*

(a) Ovid. 8. *Metam.*

(b) Sallust. in *Catin.*

(c) Livius lib. 2. *Decad.* 3.

(d) Idem lib. 6.

(e) Terent. in *Adelphis.* Act. 4. Scen. 5.

(f) Erasm. in *Adag.* pag. 263.

(g) Batil. *Embl.* 30.

(h) Erasm. in *Adag.* pag. 203.

(i) Schoonhov. *Embl.* 5.

(k) Erasm. in *Adag.* pag. 335. & 731.

(l) Avien. *Fab.* 32.

(m) Faenr. *Fab.* 91. *Causin. in Polist. symb. lib. 1. cap. 9.*

Pag. 73.

(n) Vide de hoc Hisp. *Adag.* Covarrub. in *Theat. singul.*

*Casi. verb. Mazo.*

(o) Bocch. lib. 2. symb. 52.

(p) Batil. *Embl.* 25.

(q) Idem in *Notis.*

vus defuerat, Apollo ipse cicade specie respondit (r).

24 Nihil autem ad hanc rem aptius me legisse memini, eo, quod Plutarchus (s) recenset, Perseum Macedonum Regem increpans, quod commiso prælio, cum Paulo Æmilio, in quo de suo Regno, imò & de capite periclitabant, in oppidum Pydnam se magna ignavia subduxit, per causam sacrificii Herculi faciendo, *Trepida à trepidis (ut Plutarchus addit) non recipienti sacra, nec vota admittenti nefanda.* Neque enim fas est, ut qui non jaculator, destination feriat, neque qui locum non tenuit, is ferat palman: neque ut habeat socors successum, neque ut sit malus beatus. Sed Pauli precibus volens, propitiusque annuit Deus, quippe petebat victorian belli, & palman, bastam tenens, pugnansque, open implorabat Dei.

25 Et hoc quidem est, quod Jurisconsulti dicere (t) solent, *Vigilantibus non dormientibus jura subveniunt, & Theologi, facient quod in se est, Deus suam non denegat gratiam.* Qui etsi omnipotens sit, miracula tamen, ubi illis non est opus, excusat, & divinis suis manibus, atque operationibus, nostras quoque admisceri desiderat, ut Ego alibi (u) ostendi, & integro discursu in hanc rem edito, ex tribus locis, & exemplis Sacra Scriptura, benè Ambrosius Moralit. (x) evincit. Quibus adjici potest, quod Tilmanus (y) memorat, Sanctum quendam virum, quem multi hac ætate noverunt, ad Regem Magnum dixisse, *Reges, non tantum, ut ores, sed ut regas: ne per orationes, & pietatem tuam gebenam mereare.*

26 Illud planè, & pium, & securum, omnique jure, & ratione ob omnibus Principibus observandum, consulimus, ut Deum, quem suis votis, & precibus ante bella, aliasque res arduas, sibi adesse præoptant, eumdem, adeptis demum victoriis, vel prosperis porti successibus, aqua pietate agnoscent, & revereantur, ipsiusque potentia, quicquid pro votis contigerit, tribuant, cum ipse verè victoriarum omnium auctor, & Dominus sit, ut ex superioribus patet, & latè prosequitur Julius Feretus, (z) Agesilai exemplum adducens, qui, ut Xenophon in libro de ejus laudibus tradit, quoties fortuna utebatur prospera, Diis immortalibus habebat gratias: si fiducia plenus, plures maestabat hostias, quā rebus suis metuens, ac diffidens voveret. Cui similis Paulus Æmilius apud Plutarchum (a), non tam sibi, quā Diis, partam insigne, illam de Perseo Rege victoriā, acceptam ferre voluit, & in ejus gratiam plures victimas immolavit.

27 Idemque Sacra pagina de Israelitis (b) agens, commendat, dum post debellatos Assyrios, & Bethuliam, egregio Juditha facinore, ab obsidione liberatam, *Omnis populus venit in Hierusalem, adorare Dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerint omnes holocausta, & vota, & reprobmissiones.* Et rursus, dum Josue de Haithis (c) triumphans, ex præcepto Domini Altare construxit, & super eo hostias pacificas oblitus, & maestavīt. Davidis quoque exemplum idem ostendit, passim in suis Psalmis, sed præcipue (d) in centesimo trigesimo septimo, pro victoriis, quas à Domino accepérat modulantis. Cujus pietatem ibidem (e) D. Chrysostomus his verbis extollit: *Non quemadmodum nonnulli molles, ac dissoluti, qui antequam quidem accipiunt, sunt vehementes: postquam autem accepérunt, clanguerunt; sed hic quidem, & antequam accepit, agit, & postquam accepit, perstat, agens assidue gratias.*

28 Et pariter D. Ambrosius (f), Theodosium Magnum ob eāndem virtutem collaudans, sic ait: *Alli Imperatores in commemorationem victorie, arcus triumpphales praebent, aut alia insignia triumpborum Clementia tuu hostian Dei parat oblationem, & gratiarum actionem per Sacerdotes celebrari Dominu desiderat.*

29 Qua etiam in parte, quantum semper Catholicorum nostra Hispania Regum, & Augustæ Austriae domus, Religio, & Pietas emicuerit, satis ostendunt exempla à me supra in aliis commentariis (g) relata, & ab Antonio Panormitan (h) de suo Rege Alphonso verba faciente. Et tot ob hanc gratiarum actionem anniversariae commemorationes indicatae, tot insignia Templa, & Cœnobia ex voto constructa, & amplissimi simul reditibus, pretiosisque donariis dotata, & tota Hispania D. Jacobo, glorioso ejus Patrone, pro victoria de Clavijo, veluti in tributum obnoxia. De quibus Ego alibi (i) aliqua dixi, & plura, vel de solo Belgio loquens, Aubertus Miræus (k) congessit, & noster Saavedra (l) post Marianam, eamdem pietatem extollens, eique pro premio ingentem, qua hodiè fruitur, Monarchiam, datum fuisse considerans.

30 De pietate autem Romanorum, Diis, etiam pro adversis, litantibus, jam supra (m) cum Valerio Maximo memini, & nunc huic commentationi verbis Seneca finem impono: *Hoc conditio humana, vel pessimum habet, quod fortuna quos miseris fecit, & superstitionis facit, diligentius dii coluntur irati.*

- (r) Vide de hac Fabula Clement. Alex. in *exhort. ad gent.* pag. 1.
- (s) Plutarc. in vita Paul. Æmil.
- (t) L. Papilios, D. que in fraud. cred. cum similibus.
- (u) Ego i. tom. de Indiar. *Jur. lib. 2. cap. 3. ex num. 67.*
- (x) Ambros. Moral. discurs. 3.
- (y) Tylman. in *Aula Tyrocin.* cap. 6. num. 19. pag. 21.
- (z) Ferret. in tract. de Just. bello, cap. ult. de visor. Deo tribuend.
- (a) Plutarc. in *Paul. Æmil.*
- (b) Judith 16. 22.
- (c) Deuteron. 27. 6.
- (d) D. Chrysost. in *Psalm. 131. vers. 1.*
- (e) D. Chrysost. ibidem.
- (f) D. Ambros. lib. 8. epist. 58.
- (g) Supr. Embl.
- (h) Panorm. lib. 4. sub finem.
- (i) Ego 2. tom. lib. 3.
- (k) Miræus in Codice denotionum piarum.
- (l) Saaved. Empr. 25. ex pag. & Empr. 97. pag. 718.
- (m) Supr. Embl.